

Psal. 17. Diligam te Domine fortitudo mea: Deus meus adiutor meus. & sperabo in eum; si exurgat aduersum me praelium, in hoc ego sperabo.

Fortè etiam irruabit, si per ipsas diuinationes, quibus impij triuabunt plurimum, Deum esse conuincamus, vt ex omni parte diuinum nūmen Athei resonare fateantur, & diuini numinis exem-

plo, gratia illius nobis fauente, bonum è malo, & ex mendacio, atque tenebris veritatem, & lucem eliciamus, iustum est enim vt benè ipsis malis, atq; mendacijs aduersus illos vtamur, qui bonis, & veris contra nos abutuntur, sic enim bonum pro malo reddentes tantis beneficijs hostes ipsos Deo vincere, & ad illius cognitionem, & amorem adducere poterimus.

R A T I O XXIII.

Quæ per omnes diuinationum species Deum esse probat aduersus Atheos.

Certum est probati Deum esse, & omnibus prouidere ex diuinationibus, vel prophetijs diuinis, siue ecclasi, siue voce, parabola, afflatu, & visione contigerint; enimvero propheta, & viri sancti diuino numine afflati, res antequam euenirent, tametsi ab arbitrio diuino, vel humano pendentes, tamdiu, tamque certò prædixerunt, vt nemo sanæ mentis sit, qui non libentissimè fateatur eas nunquam potuisse prænuntiari, nisi diuinum aliquod nūmen, quod omnes humanas cogitationes superet, illas antea reuelasset: nolim autem ire per omnes prophetias, & oraculorum diuinarum species, visionem, verbum, somnium, vrim, & thummin, nam de his alicubi postea fusijs; sufficitque si scripturæ sacræ prophetias penitus inueniaris; & prædictorum euentuum successus cum ipsis oraculis conferas, vt numinis æterni veritatem profitearis.

Iam verò ex naturali diuinatione Deum esse probemus; quomodo rusticus quilibet nouit veri æstatem, æstati autumnum, & tempora temporibus successura, nisi quia Deus hunc ordinem, atque tempestatum vicissitudinem ordinauit; & quidem si quæras ab aliquo quantumvis idiota, quis illum ordinem inter elementa, & tempora stabilierit, statim Deum in ore præfert, & omnia ab eo facta esse, sine vlla deliberatione præuia fatetur, vt illa veritas non acquisita, sed nobis innata esse videatur. Vranoscopiam obsecro contemplare, quæ tot, & tanta mundo paruo, & elementari prædicat, & Stecheioscopiam, quibus etiam indocti per elementa, mutationes temporis præfagiunt. Sanè tam mirabilia sunt, quæ Meteoroscopia considerat, & ex meteoris apparentibus in elementari mundo, vt ex iride, halone, pareliis &c. diuinat, vt non solum diuinationes illæ, sed ipsa meteora Deum esse arguant; quis enim horrendum illum tonitruui fragorem, fulgurum motus inexplicabiles, audire, atque videre potest, qui statim commotus ad cælum supplices manus non extendat, genua flectat, & Deum Opt. Max. obsecret, vt ab hominum capite tonitruu auertruncet.

Nec in dubium reuoco eos Deum admissores esse, qui per oryctoscopicam fossilia, metalla, & lapides ex inspectione terre coniciunt, nam signa, quibus ea deprehendunt, Deus apposuit, nihil vt in terræ visceribus includeretur, quod in vltus humanos conuerti non posset. Quam mirabilis est diuini numinis prouidentia, & anthropophila, qui phytognomiam, seu phytoscopiam hominibus dedit, vt ex rerum, planta-

rum præsertim signaturis, variisque florum, foliorumque coloribus, saporibus, odoribus, & figuris earum vires deprehenderet, & ad morbos curandos applicaret; nec minores gratias de Zooscopia, & phytognomia Deo reddere debemus, quandoquidem ex inspectione sola hominum, & animalium per hanc, & illam de eorum natura iudicamus.

Cuius species recensentur Metoposcopia, per quam ex vultus frontisque obseruatione: & Chiromantia, per quam ex volæ sectionibus de morbo, vita, & sanitate præfagimus? quid Simiotica vtilius? qua medici nobis morbum, aut valetudinem ex signis salubribus, insalubribus, & neutris prænuntiant; an diuinatio politica negligenda est? cum eius ope de mutatione, statuque futuro rerum ciuiliū homines prædicere soleant; Oniromantiam omitto, quæ multa coniciit ex somnijs, & alias naturales diuinationes, si quæ superfuerint, quibus nūmen æternum existere probamus, cui nos omnem præfagendi vim, & intellectus acumen acceptum ferre debemus, quo multa futura coniciamus: hincque cõcludendum est in hominibus esse particulam aliquam, quæ immortalis est, qua futura omnia cognoscere desideramus.

Placet etiam ex ipsis dæmonis fraudibus confirmate diuinitatem, quam etiam oracula deorum, prophetiæ dæmonum, Deomantia, Magia, Goëtia, seu mangania, epodi, incantationes, & excantamenta, hieroscopia sacrificijs constans, æonomantia, sortes, & sortilegia, & cætera id genus esse probant, quatenus veras prophetias imitantur, & diuini numinis scientiam æmulantur, nam vbi adest imitatio, præcedit exemplar: quæ vt melius inspicias, damnatas illas species, seu octo impia diuinationum genera distinctius prosequor.

Dæmones immediatè per oracula prædixerunt multa, quæ rarò vera reperiebantur, sæpe falsa, dubia verò ferè semper, quibus ipsorum sacerdotes afflati eodem modo prænuntiabant: quod eouque processit, vt dæmon ipsam Dei præsentiam per Deomantiam ementiri conatus fuerit, vt ei diuinos honores haberemus, Quocirca obfessis, seu pythonibus, & engaltrimythijs, seu engaltrymantibus, qui præsentem habent dæmonem in corpore habitantem, vel ore loquentem, vel vocibus varijs in ventre, & alijs modis futura prædicentem, vsus, vel potius abusus est, vt mortales eum esse Deum crederent;